

IVL ALEXAN  
DRINI MEDICI AR=  
CHIATRI CAESAREI PAE=

dotrophia, siue de puerorū  
educatione, Liber.



TIGVRI APVD CHRISTO=

phorum Froſchouerum, Anno

M. D. LIX. *b*

(9)

b. 15557637

MAGNIFICO IN PRIMIS  
ET GENEROSO DOMINO HIERO-  
nymo, Baroni in Sprinzenstain, Con-  
siliario Cæsareo, &c. Julius  
Alexandrinus

S. D.

**P**ER SOLVO quod debedo, vir Magnifice, & fidem meam libero, quam ante annos propè septem adstrinxeram de mittendo tibi carminum meorum quorundam libello hoc. Hui dices tam sero, ac tanto demum post tempore, ut sors merito fieri ex usura potuerit? Non nego. Verum si scias quam parum abs fuerit, quin debiti apud te huiusce mei, tota propè fides mihi conciderit, minimoque minus soluendo futurus non fuerim: libenter accipias quod datur, quounque id tempore fiat, ac cuiusmodicunque tandem id sit: Et quod boni saepe creditores solent, ut cum malis nominibus, etiam non sine aliqua sortis detractione decidant, idem mecum non inuitus nunc facias. Ego enim foetum hunc meum, inter primos iuuentae meae annos, iuueniliter quoque a me editum, quum denuo inuisendum

mihi adijssem, strigosusq; totus, ac male educatus, rudisq; & informis appareret, usq; adeo, ut diu quamuis multumq; reconcinnadus, & quod ursq; catulos suos solent, lingendus mihi labendusq; esset, iusti tamen adhuc partus accepturus facie non uideretur, totu, nisi animu subijsset polliciti apud te mei recordatio, abdicatus fui: malui tamen præstare quod factum me receperam, ut hac saltē ex parte exoluueretur fides: si non quale sperabas, at quod iam diu tamē debebam, chartaceum hoc ad te munus mittendo. Itaq; expunges rationem meam, si quā habes in aduersarijs tuis hoc nomine. Nam quæ multis alijs, & his quidē non exiguis officiorum tuorum de cauissis, haud obscure me tibi debere semper fateor humanitatis, liberalitatisq; in me tuæ, munificentiaæ ac beneficentiaæ, tam efficacis autē & sedulæ, nominis apud summos semper principes mei, cōmendationis: Ea, quoniā quoties accepti ac relati inter nos rationē in eo, persolutum à me iri posse non uideo, dū uiuam, transmittere ad posteros animus est. Quos futuris etiam sacerdīlis omnibus, familiæ tuę generositas habitura sibi obæratos perpetuò sit. Vale.

IV-

IVLII ALEXANDRI  
 NI PAEDOTROPHIA, SIVE  
 De puerorum educatione,  
 Liber.

**N**atorum uia quæ teneros recte educet annos,  
 Prima mihi dicenda Deæ: quaq; arte tuenda,  
 Indiga opis nimium nostræ, sit mollior atas,  
 Intactamq; ferat ualido cum corpore mentem,  
 Seruata egressus puer incunabula lege,  
 Vnde suus constet reliquis ætatibus usus.

Mendoti decus Hispanum, cui maxima rerum  
 Inuictus tractanda dedit molimina Cæsar,  
 Egregio partæ felix iam pacis honore,  
 Itala qua gemino profert se littore tellus,  
 Dum placido duras flectis moderamine mentes,  
 Magnorum medius regum, & secura quietis  
 Munera, per Latium studiorumq; inuehis artes,  
 Iam tibi se soli debere fatebitur omnis  
 Musarum Phœbiq; chorus, quod læta fugatis  
 Auspice te tandem, suscepit otia bellis,  
 Pacatasq; colat nulla formidine terras,  
 Et damnosa suis effugerit artibus arma:  
 Siue Itala mauis terra consistere, seu te

Magna alio fortuna uocat, siue arduus omnes  
 Per titulosq; gradusq; uiam tibi ad æthera pandis,  
 Huc ades, & paulum positis ingentibus orsis,  
 Ipse mihi dexter iam nunc adjiste canenti.

Optima cui Diuum dono natura tributa,  
 Quum primum abruptis maternam euaserit aluum  
 Nexibus, & primis infans uagitus auras  
 Impulerit, pauco iam tum mihi mollia tange  
 Membra sale, ut durata cutis, siccataq; solis,  
 Ventorumq; dehinc uires patiatur, & imbræ:  
 Frigoribus neu sit, néne ulli obnoxia culpe,  
 Plurima quæ nostræ officiunt incommoda uitæ.  
 Ante quidem molli matris defensa sub aluo,  
 Fotaq; uisceribus fuerant, tum nescia cœli  
 Corpora: nunc uarios possint ut ferre labores,  
 Ventosq; pluuiasq; æstumq;, atq; obuia quæq;  
 Tegmine egent multo, teneros ne infesta per artus  
 Frigora eant, late correptaq; uiscera tentent.

Nec taceā tamē hic monita inter ut id quoq; prima  
 Sit tibi, densa nimis cutis, aut ne rarior æquo,  
 Vtraq; accipiat culpa noxam, inuia succis  
 Densa nimis, neu rara nimis sit peruia damno.  
 Scilicet hac olim sub conditione ferenda  
 Per uariam rerum faciem, ad contraria semper  
 Nascimur (immensus statuit sic Iuppiter) omnes.

Tum

Tum mollis teneros adstringat molliter artus  
 Fascia, componatq; simul, ne turpia s̄epe  
 Et distorta ferat, neglecto hoc, corpora, sitq; id  
 Impediens operum, & miseræ ad ludibria uitæ.

Sunt qui continuo natos ad flumina portent,  
 Barbaricoq; artus ritu per frigora durent.  
 Mos ferus. ingenio, & qui claris artibus, infans  
 Nascitur, ille mihi tepida magis innatet unda:  
 Vdoremq; omnem, contractaq; sordida ponat.  
 Ast alij nato primum prædulcia mellis  
 Pabula dant, modicoq; iubent dein lacte fouere,  
 Bisq; die id terue admittunt, haud amplius. undæ  
 Tum tepidæ mandant leuis innatet, optima quæ sit,  
 Et quæ pura suo ueniat de fonte, nec ullum  
 Sulphuris aut referat nitri insyncera saporem.

Nutrice, an matris melius de sanguine alatur,  
 Non dubit andū: eadem hic alimenta ut sentiat infans,  
 Quæ iam utero: nihil his proprium magis. optima tale  
 Quæ peperit quoniam merito est natura putanda.  
 Contra multa manent nutricem incomoda, cuius  
 Corpora deformes referunt agrestia mores,  
 Sæpius unde annos fingunt in pessima primos,  
 Quæ cum lacte ipso postquam semel eibere infans  
 Cœperit, ah ne sint frustra mihi turpia nullis  
 Auxilijs uellenda, tenax quæ negligit error.

Quare agite ô teneros matres defendite partus,  
 Vberibusq; ipsæ uestris ne pignora uestra  
 Turpe putatote hinc aluisse, atq; hæc uia uobis  
 Sit potior. quod si impediant nonnulla, deinde  
 Altera nutricem tibi iam quæsiſſe probandam  
 Cura sit, ac certis uestigasse omnia signis,  
 Illa mihi ante alias placeat, cui certa salubris  
 Corporis indicia adſuerint, nec pingue, macrumq;  
 Nec nimium hoc. Aetas ea, quæ iam quinq; peregit,  
 Nondum octo numerat quinquennia. lactis abunde,  
 Cui magnum pectus, turgentiaq; ubera. Quod si  
 Ante erit haud multo prolem illa enixa virilem.  
 Hæc mihi sit puero nutrix: cui deinde negandi  
 Concubitus: ſæpe attactu memini hos ego menses.  
 Fæmineos solitos protrudere, quo ſapor omnis  
 Lactis abit: ſæpe alterius primordia prolis  
 Hinc duci, ſibi quæ largo de ſanguine ſuccum  
 Præripiat, raptumq; ferat. quippe intus alendo  
 Degit, natuumq; trahens penetralibus altis  
 Ebit humorem, quum uult, affixa, bibensq;  
 De radice ſua aſſidue ceu uescitur arbos.  
 Ille cibi ſentit uix quicquam: exultaq; pastus  
 Vbera præpingues artus robustaq; quondam,  
 Nunc tenuis labefacta gerit ſine corpore membra.  
 ſæpe etiam turpes totum depascere anchoras

Corpus,

Corpus, fædata amq; cutim, fædata uidebis  
Brachia, & insueto pallentia crura colore:  
Causa latet, sed tu mutata consule nato  
Nutrice imprimis, lactis cui nulla repreensi  
Signa, nec appetet uitium spectantibus ullum.  
Gustatum insolito quod sensu uellicet ora,  
Offensas petat aut nares male odora facultas,  
Cæruleoue uirore notæ uisantur, & ipsum  
Tenue, tenaxiue nimis fuerit, quodue ungue remissum  
Sistat, perfectum seseq; rotundet in orbem.  
Ceu quondam arentes pluuius cum Iuppiter agros,  
Aut matutinus flores irrorat Eous,  
Caule super densi speciem formantur in orbis,  
Et pellucentes recreant uiolaria guttæ,  
Hocq; potes certis facile deprendere signis,  
Sit tenue id crassumq; nimis, si forte requiras:  
Namq; recens mulso, uitreo dein uase coacto,  
Magna seri superat si uis, heu quam male fluxo  
Lacte satur puer inde cibi persentiet usum.  
Nec mihi densa tamen placeat natura, relieti  
Crassities partem quoties penè occupat omnem.  
Ne uictis alimenta meatibus, inq; peditis  
Dura coqui ualido stomachum lentore morentur,  
Aut etiam nimium ne lactis alibilis usus  
Corpora præpingui tendat uitiata sagina.

IVLII ALEXAND.

Inter utrung<sup>b</sup>, probo. quod si tamen id quoq<sup>b</sup>, iuste  
Spissius (ut solitum est) offererit, eia age lenti  
Quicquid inest mulso primum resecator aceto,  
Ventriculiq<sup>b</sup>, ima uomitor de parte resectum.

Assiduo quin ipsa labore exercita nutrix  
Tempore multum illo pituitæ absumperit, unde  
Maxima suggestur melioris copia lactis.  
Et iuuat apposito crassum nutrimine succum,  
Interea secuisse grauis Thymbræq<sup>b</sup>, Thymiq<sup>b</sup>,  
Edita præcipue quæ misit & extera tellus:  
Hyssopiq<sup>b</sup>, coma: tum quæ natalibus herba  
Clara suis minime hunc radicula deneget usum,  
Quæq<sup>b</sup>, suos ortus testantur origana uoce.

Contra autem fluido superant quum tenuia lactis  
Excrementa, sèri multo diluta liquore,  
Suadeo opus magna nutrix de parte remittat,  
Cessatrix, dulci & perpotet defructa succo,  
Mitiaq<sup>b</sup>, adsumat laticis libamina, quæq<sup>b</sup>,  
Presserit apricis serus uindemitor uis.  
Hoc quoq<sup>b</sup>, ne casu bene pasti reijce lata  
Terga suis, fluidum compescere nata cruorem.

Et uero exuccum, primumq<sup>b</sup>, liquoribus uber  
Defectumq<sup>b</sup>, suis, multa instaurare potes ui.  
Quanquam ò ne largi nimius medicaminis usus  
Paulatim inficiat damnati pabula lactis,

Ipsè

Ipse probem placido mage quæ mihi prædicta succo.  
Haud oberint, demantq; macris ieunia membris:  
Talis erit radix, sunt talia semina mollis  
Fœniculi, cytisiq; simul bene nota potestas:  
Longior his meritò rebus quæ destinat usus:  
Præsertim elixo ptisanæ si incocta cremore,  
Largiter effuso desorptaq; lancibus haustu,  
Irrigui (mora nulla) ferant alimenta per artus  
Roris, inexhaustis tendantq; canalibus uber.  
Sicut ubi paruus fluuijsq; & fontibus humor,  
Quum media exustis ardet feruoribus æstas,  
Limosoq; tenus condunt se gurgite Nymphæ,  
Si pluat, effusis sicientes imbris herbe  
Lætantur, passimq; fluunt per gramine riui,  
Sollicitantq; nouo ripas uaga flumina cursu.  
Credo equidem haud alio depastæ gramine capræ  
Uberibus Iouis educta incunabula quondam,  
Maxima ubi herbarum Crete nec uana creatrix,  
Vestit odoratis plantisq; & floribus agros.  
Quoq; magis largo decurrant sanguine riui,  
Inq; suum facile lac nutrimenta ferantur,  
Mane diu perfricta iuuant, & uestere fricta  
Pectoraq; scapulae q; simul, thoraxq; manusq;.  
Possum multa tibi hic lactanti noxia rite  
Enumerare, nimis uulgo ni nota capessam:

## IVLII ALEXAND.

Alliaq; & Porri graue uirus, & acre Sinapis  
 Vrentis semen, mitisq; salacia bulbi,  
 Et bulbosa simul tunicatæ gramina cepæ,  
 Quæq; olim Graij imprimis uetuere medentes,  
 Et procul amorunt Apij noua germina crisspi.  
 Scilicet hoc Veneris stimulo succensa libido  
 Sæuior incubit, mentemq; insaniam mutat.  
 Quin & idem lactis largos succidere riuos,  
 Et pressum siccare uber solet, ipsaq; eodem  
 Salsa modo officiunt, & acutæ nux quoq; pinus,  
 Nempe procax, ueteris dominæ memor usq; furoris,  
 Seruat adhuc longos arbor monumenta per annos.  
 Hanc olim rapidi Boreas ui turbinis actam  
 Præpositum sibi Pana dolens, coniecit in altos  
 Saxa per & rupes, deuexaq; confraga, montes.  
 Coniectam tellus gremio miserata recepit,  
 Inq; sinu fouit, syluisq; accedere iussit.  
 Iamq; arbor noua Pitys erat, iam corpore toto  
 Mutata induerat formam, tamen una remansit  
 In teneras quæ tota nuce slasciuia cessit.  
 Has igitur, cumq; his Moschi quæ nomen odori  
 Naturamq; refert, uites, moneoq; proboq;.  
 Illa quidem nucula antiquis incognita quamuis,  
 Vsq; tamen summis alias quæ uiribus omnes  
 Exuperet, quoties nocuum penetralibus hæsit

Altius

Altius ad uiuum frigus: uel ubi humida succo  
Viscera per totum penitus maduere profuso.  
Præsertim si fæminei fastidia forte  
Incubuere uteri, conuulsaq; membra pererrans  
Parte dolor fistit uaria, tum spiritus intus  
Præclusus uix iam uitales concipit auras.

Vnde noua hæc nostras inuiserit hospita terras  
Nux primum, nostroq; recens se ostenderit orbi,  
Si referam, nimium Mendoti, hac te quoq; longo  
Parte morer sermone, tuis atq; usibus obstem.  
Terra quidem nobis eadem quæ Cinnama mittit,  
Terra ferax Ebeni, & gratum spirantis Amomi,  
Diues opum, diues uariarum ab origine mercum,  
Pertulit & magnos optatæ hos arboris usus,  
Vnde etiam nostras inuictus odoribus ullis:  
Resq; ignota diu Graijs, peruenit ad oras.  
Tymbachi extremo Seniq; è littore Moschus:  
Voce eadem ut Moschi Caryon, sic uiribus ijsdem.  
Atq; huius diuersa tamen perhibetur origo.  
Nam neq; succus is est stillans radicibus ullus,  
Expressus ué liquor folijs, collectus at imo  
Quadrupedis sub uentre crux, quum plurimus ursit  
Vere furor primo, tepefactisq; ossibus hæsit,  
Incola quem studio excipiat, multoq; repensum  
Exhibeat. Tum demum auro, fragrantia gentes

I V L I I A L E X A N D.

Scilicet haud paruo hæc fuerat uendenda per omnes:  
Imprimis ingrata olidi qua tædia flatus  
Discutiantur, & in tenues acceptior auras  
Exhalatus odor spiret, quod ni acribus inde  
Tarda Venus stimulis inconcessisq; ageretur,  
Præcipua merito poterat iam dote probari.

Nec tamen his solum monitis parere iubebo,  
Sollicitator & id primum, præq; omnibus unum,  
Angustas ne crassa uias alimenta retardent  
Lactis, & obductis hærere tenacia uenis  
Assuescant, eademq; suo ne uiscera flatu  
Tensa nimis, tumido aut præcordia murmure uexent:  
Quo sæpe arreptos subito conuellier artus,  
Diuersosq; trahi uultus, atq; ora uidebis,  
Frendentemq; modis miris spumescere rictum.

Vsq; adeò assiduo pugnax alimonia succo,  
Exuat ipsa licet faciem perpeffa priorem,  
Paulatim se se affecta in corpuscula large  
Infinuat tamen, & uarijs ea tempore formis  
Vertit agens. Viden' ut teneri mollissimus agni  
(Site forte rei iuuat experientia tantæ)  
Vestitus, prædura abiens in uellera, late  
Degeneret pasti hirsutæ distenta capellæ  
Ubera: contra hœdi crispis tenuissima setis  
Corpora mollescant, ouium tantum ubere suæ?

Sed

Sed neq; iam setis tortum discrimine paruo,  
 Vellus id est, quod & arte neant, netumq; sorores  
 Haud uarijs dedignentur contexere lanis:  
 Quas etiam Miletæ feras, etiam Appula tellus,  
 Speluncis Syrme in medijs, Gardeq; Saloq;

Atq; ideo innocuæ lactis de sanguine uires  
 Ut perstent, apto nutricem deinde labore  
 Exercere para semper, uictuq; fouendæ  
 Ipse bono, nec iam immodico, lege tempora prudens.

Nec non & puero his nonnullos possumus annis,  
 Hoc etiam recte concedere tempore motus.

Nam cunis agere hunc poteris, nutricis & ulnis

Huc illuc saepe utiliter circum ipse feretur,

Sæpe leui infantisq; dato ad solatia curru

Exerce, cui parua etiam subiecta rotarum

Aetati ingentes præbere uolumina lusus

Versa solent teneræ puer intus brachia pandit,

Hisq; leui nixus sponda se sustinet, atq; huc,

Huc celer atq; illuc gradiens, perq; omnia uersans

Dat gressus incompositos, & crebra ferendis

Omnia per pedibus paulatim assuescit eundo,

Officioq; suo fungi docet, unde solutus

Sponte sua ignotoq; breui se credere passu

Audeat, & teneros iam per se exerceat artus.

Tu pedibus tamen ante diem puerilia nitî

I V L I I A L E X A N D.

Corpora ne finito: saepe imprudentibus unum  
Obfuit, in ualidiq; & adhuc propè cerea nacti  
Ossa pedes, nimiumq; graui sub pondere pressi  
Exiliere loco, atq; oneri cessere grauati:  
Crura unde in uarias abeunt sinuata figuras:  
Sæpe etiam introrsum spectantia mutuo se se  
Genua terunt, atq; implicitos dant turpia gressus.

Nec minus & placidos animi tutabere mores,  
Defensoq; uia hac teneros ingentibus annos  
Seruaris rectè uitij, que multa negatus  
Ferre solet nimiūsue labor: quare inter utrunk;  
Exercere sat est, nimio ne concita motu  
Corpora si fuerint, bilem tenuata malignam  
Experiantur, & in calidos labentia morbos  
Criminibus deinsint, iræq; obnoxia turpi.  
Si nullo innatus motu calor excitus intus  
Torpeat, infarctis detenta meatibus, inde  
Tabentes casset deferre alimenta per artus,  
Palloremq; ferat, uarij & genus omne fluoris,  
Frigidaq; egelidus cruor in præcordia tendat:  
Segnior inde animi neglectas occupat arces  
Desidia, atq; ignaua solent pigrescere corda,  
Inq; uicem affectis uitium transmittere sæpe  
Corporibus, solet hinc animus male sanaq; totam  
Mens secum uitæ trahere in discrimina molem.

Hoc

Hoc metuens, pueri mores & tempora seruat  
 Prima, malis defensa istis, uitiosaq; certæ  
 Dede neci, & uitæ fuge blandimenta proterua.  
 Auditu procul esse iube, procul omnia uisu  
 Turpia, quæq; animis incustodita latenter  
 Insinuant, tacite sejœq; capacibus addunt,  
 Perq; uias placido primum fallentia uultu  
 Descendunt alte latas: mentem unde uenena  
 Non iterum delenda malam infecere, diuq;  
 Crudescens longa uitium assuetudine uicit:  
 Quæ deinde incassum tentes, nec tollere possis,  
 Quum semel effrenos rapuere tenacia mores,  
 Victaq; cesserunt lassæ retinacula mentis.

Vt male quum domitus primum sternaxq; feroxq;  
 Secum equitem trahit in præceps, ac frena recusans  
 Fertur equus, nullis actus per deuia habenis.

Quumq; adeo cunctis in deteriora parata  
 Sit uia, quæ lato pulsos in tartara calle  
 Seductosq; boni specie longe allicit, annis  
 Præcipue natura sequax puerilibus, omne  
 In uitiumq; trahi facilis data, & in mala flecti  
 Cereas, quæ nullum non dein mansura per ænum,  
 Dedecorent miseram scelere infælicia uitam.  
 Hinc mala quum læsi primum crudescere labes,  
 Possessi q; animi cœpit, iamq; altius acta

IVLII ALEXAND.

Dira lues, capta uictrix dominatur in arce,  
In male defensos latis hostilia muros  
Admisit subito, atq; ultro uocat agmina portis,  
Perq; oculos naresq; simul, perq; ora, per aures,  
Noxia prorumpunt in apertas crimina sedes,  
Erroresq; iræq; malusq; libidine luxus.  
Quodq; magis doleas, minus & fateare ferendum,  
Nos adeo nos hæc teneros in turpia sæpe  
Præcipites patres damus atq; impellimus annos.

Vidi ego iam cui primi inter cunabula nati  
(Tantum error spretiq; potest inscitia redi)  
Iam tum ingens tenera instruere ad deformia lingua  
Cura erat, inq; homines pariter conuitia cunctos  
Hinc facere, inq; deos polluto paruulus ore,  
Et male moratam temerare libidine mentem,  
Verbaq; cum factis miscere inhonesta prophani.  
Nec requies, nulla donec pietate parentes  
Principio dictis terrere minacibus ipsos  
Cœpit, & in miseros fanda atq; infanda precari.  
Mox & in omne nefas, uitiumq; exarsit in omne,  
Et potuit sæuo latus ense haurire paternum.  
Tunc semel effrenis corruptus luxus habenis,  
Inq; sacros Musis quondam Phœboq; penates  
Alea, & argutæ meretricum hostiliter artes  
Inuestæ late exitium stragemq; dedere.

Quippe

Quippe eadem patris hæc quōdam introducta sub ipsis  
 Flagitia imperijs, eademq; exempla secutus  
 Retulit, atq; omni tamen ante haud peruvia culpe,  
 Criminibus late patuere hinc hostia cunctis.

Quod nisi & assidua uitia insectabere cura,  
 Et teneros flectes annos, & dum licet, omni  
 Compones animum studio, in meliusq; uocabis,  
 Ne seris posthac sphaera conuellere ab annis,  
 Aut turpes delere notas te posse, tenaci  
 Quas animo semel ante admissus inusserit error.

Hanc etiam sœpe ob causam diurna uideto  
 Ploratu puer assiduo ne tempora ducat,  
 Ilia neu longis singultibus interrumpat,  
 Unde ferox captam sensim, iracundaq; mentem  
 Vis rapit, atq; altam turbat male sana quietem.

Nec fletus manifesta tamen neq; sola uidetur  
 Causa rei, sœpe exiguis latitansq; feroci  
 Dente pulex artus & cuspide fixit acuta,  
 Pollutoq; coris surrepens fœtidus ore  
 Vellicat, & duros acuens in corpore morsus  
 Exercet, sœpe immundæ fastidia sordis  
 Infestant, exestq; illotus corpora sudor:  
 Quæ simul atq; alia ingenti speculabere cura,  
 Si tibi sint nati studia haud postrema salutis.

Tempore nec lôge hinc multo labor ingruit alter,

I V L I I A L E X A N D.

Haud minor, infesti grauidis quum rumpere tentane  
Gingivis, atq; ora graui conuulsa dolore  
Exacuant dentes, tu pingui hos munere primum  
Cortis avis, molli & leporis lenire cerebro  
Ne dubita, summum dein quum caput exerit, acres  
Densq; ciet surgens stimulos, auidosq; coegit  
Admotis puerum digitis infigere morsus,  
Mella unà, & pinguem lactis coniunge saporem,  
Osq; foue iunctis. uariæ simul iridis hosce  
Tersa ante haud multum radix siccatur ad usus.  
Iamq; aliquis grata hæc quæsitum in munera puro  
Coralium argento fuluóue infibulat auro,  
Materiaq; lupi dentes includit eadem,  
Donaq; suspendit puerili pendula collo,  
Quæ morsu puer usq; premat, quibus ora fatiget,  
Dens unde attritu crebro citus exit, & alte  
Defixum firmo protuberat ordine uallum.

Noxia sic etiam magnos animalia præstant,  
Præcipuosq; æquis naturæ legibus usus:  
Martius ipse ingens terror lupus armentorum  
Parte sui haud minima iuuat, intestina labores  
Pota graues soluūt, medium quum tormina uentrem  
Discruciant, aluumq; dolor ceu perforat altus,  
Et distenta gemunt tumido præcordia flatu.  
Non aliter quam contorto transfoſſa terebro,

Inde

Inde minutatim latè fumantibus extis  
 Exemptum iecur exiccat, ac peruia nulli  
 Per tabulata locant Phœbo, puroq; recondunt  
 Ter quater elotum rutilantis munere Bacchi.  
 Sanguifica hoc abiens sæpe atq; amissa facultas  
 Aut uitiata redit, reuocatq; exterrita uires.  
 Quid memorem gelidi concreta ut frigora cæli,  
 Sæuasq; exuuijs hyemes Germania uitet,  
 Huius, & hoc densos munimine ut arceat imbræ?  
 Aut ut uiperaam medicus carnem excoquat usus  
 Innumeræ contra pestes, & tristia quæq;  
 Noxiaq; ut quondam nunc sæuum animalia uirus  
 Dediscent, lætumq; negent oblitera nocendi,  
 Auxiliumq; ferant pulsis uitale uenenis?

Quippe deum sator immensi quo tempore primum  
 Currere iter, quam nunc melius fulgentia iussit  
 Astra, recens digesta poli commissaq; nostri,  
 Atq; rudis cessit Dijs cura minoribus orbis,  
 Multa mali uiguisse nihil per sæcula ducta,  
 Crediderim nuper melioris origine mundi  
 Semine ab æthereo, & mire concordibus astris  
 Effusa, unde deum gremio bona missaq; grato  
 Munere cœlestum lætæ dona aurea pacis,  
 Visaq; per uultu terras Astræa benigno,  
 Astrææq; foror, uirtusq; equumq; bonumq;

## IVLII ALEXAND.

Et syncera fides, & nescia fallere quenquam  
 Simplicitas, & purus amor, pietasq; pudorq;  
 Omniaq; hæc firmo retinens concordia nexu.  
 Tempore nec iam illo fraudi, sceleriue, doloue,  
 Non locus insidijs ullus, sed ubi omnibus æqua  
 In commune datis lege, irrequetus habendi  
 Nullus amor, nec dum proprij uesana libido  
 Præcipires scelus in furialibus egerat ausis.  
 Cuncta uidebantur claro descendere cœlo,  
 Haud parca dederat iussu quæ parca Deorum  
 Dona manu, rerumq; ferax non falsa bonarum.  
 Ulla nec aerios tractus tunc semina morbi  
 Infecere, luésue natantibus ingruit ulla,  
 Omnia perq; ipsas duxere animantia terras,  
 Intactos sine labo annos, serusq; senectam  
 Non nisi longinqui sensit post tempora fati  
 Natus homo, semper membrorum atq; integer æui.  
 Sponte etiam fætu tellus quem maxima largo  
 Ediderat, uictum facile decerpit inemptum,  
 Perpetuo uernans tellus, atq; ubere lœta,  
 Mortali nondum cura irritata procaci,  
 Aut hominum nimis imperium perpeſſa superbūm,  
 Iussaq; & exactum uiolento fœnore pignus.  
 Scilicet his offensa malis, temerataq; rerum  
 Tura dolens, scelus ac ritus pertæſa nefandos.

Pau-

Paulatim auertit rebus mentem horrida nostris,  
 Insidiasq; exosa truces, queis s̄epe petita,  
 Intima conuelli sensit præcordia motu:  
 Querendis inhiant opibus pars maxima, postquam,  
 Et laceræ infodiunt rimanturq; abdita terræ.  
 Principio duro iussit quæsita labore  
 Pabula sollicitis hominum succrescere curis,  
 Et nimijs modo frigoribus contracta geluq;,  
 Sole modo & siccis exusta caloribus arua  
 Fallere depositæ male credita semina frugis.  
 Mox sœnum effudit uitiata in gramina uirus.  
 Nam primum uitæ tantum auxiliaria nostræ,  
 Nullaq; non fuerant uitalibus oblita succis,  
 Multaq; magnarum iussit sœuire ferarum  
 Agmina, uipereosq; haud lento uulnere morsus  
 Lætales inferre iectus, passimq; per agros  
 Noxia digesit discriminè toxica nullo,  
 Fallere quæ incautos s̄epe indiscreta legentes,  
 Lætalem & possent ferre improuisa soporem.

Atq; hæc iam rebus nostris inimica rependit,  
 Non dum illis tamen usq; adeò in turpisima lapsis,  
 Forsitan & graue tempus erit, quum ferrea plusquam  
 Sæcula (Dij precor hoc rebus serum adsit ut omen)  
 Conuulso in peius recident hinc cardine rerum,  
 Sæuaq; tum nulla prorsus pietate nouerca

I V L I I A L E X A N D.

Monstra feret tantum tellus, atq; atra uenena.  
Ipse etiam Sol conuersas (quis crederet unquam?)  
Retro ager: atq; actas, qua nunc uia nulla, quadrigas  
Ducet in oppositum uarijs ambagibus orbem,  
Ac nostras lata obducet caligine terras:  
Ast alijs nitidum ostendet iubar, aruaq; longa  
Canicie inulta, & rigidis horrentia glebis,  
Induet in uarios fœcundo semine fætus.  
Sed nos interea tenuis pars proxima cœpti  
Quæ superat nostri Musa hinc exorsa sequamur.  
Est etiam tenera imprimis ætatula sœcum,  
Quo sœpe afficitur, morbi genus, oscula putri  
Vicere fœda madent, uarij maculosa colore  
Quæ succi haud uno inficiant teterrima sœui,  
Quæq; ferat neglecta citò discrimina læti,  
Ulcus ubi crusta ceu tectum duruit, atra  
Est facies. Contusa malum rosa, coercet  
Myrrha, & Corycij mittunt quæ munera colles  
Læta Croci, solidoque leues de robore gallæ,  
Turaq; prædulci tum punica grata sapore,  
Punica quæ primo mala irremovable gustu  
Raptæ iter ad superos penè effecere maritæ,  
Ipsa sibi partim quæ sint satis, addita partim  
Mella iuuent, dulci puerò impositura sapore.  
At scabra quoties femora intertrigine feruent,

Sparge

*Sparge rosa, arentiꝝ, foue medicata Cypero,  
Nec faciet non & quicquam cythereia Myrtus.*

*Illam autem, geminos pestis quæ luminis usus  
Sincipitisqꝫ trahit superam infestissima partem,  
Decolor unde artus macies rapit, ignea quippe  
Aestuat, accensoqꝫ incumbit causa cerebro,  
Tinctum ovi tollit rubro, mersumqꝫ subinde,  
Tergeminumqꝫ plicis linum, solemqꝫ secutæ  
Nubila per folium, purum perqꝫ æthera plantæ,  
Strychnaqꝫ tabifaci uiires domitura doloris.  
Interea at larga cerebri de sedibus aures  
Sorde fluunt, latisqꝫ sagax purgamina mittit,  
Noxia quæqꝫ foras natura canalibus acta.  
Tu tantum siccare uelis, sectumqꝫ potenter  
Virus odorato generosoqꝫ elue Baccho,  
Qualem hospes profert annoso Rheticus æuo,  
Collibus aut Tremenus qualem transmittit apricis.  
Tum madido bibulas superinijce uellere lanas,  
Dilutum Crocon epotas, & mella merumqꝫ.*

*Nec iam sollicitum (supereft quæ maxima) non te  
Cura dehinc teneat, triplici discrimine fontes  
Viscera quum morfu late rimantur acuto,  
Putrentum, uermes, genus, & penetrabilibus acto  
Cæca laceſſitis infigunt uulnera dente,  
Vulnificoqꝫ crient non segniter exta dolore:*

I V L I I A L E X A N D.

Continuo tantumq; mali, intestinaq; succo  
Pulsa lues (tanta est discordia) cessit amaro.  
Tu modo melliflui una aliquid, quod fraude potentem  
Celet amarorem præbe, sed fraude salubri  
Incertiq; refer certum glycypicron amoris:  
Taurinoq; simul medium super illine uentris  
Felle, Iouis quondam iussu Phœbeia qua post  
Corpora scissa manus rumpentia reppulit exta,  
Exta, & prob dolor, & sceleris noua crimina nostri,  
Diuiduos nec parte dedit nec uiribus æquis,  
Semihominesq; dehinc terris errare notatos.

Sunt quoq; nequaquam hac nobis in parte tacenda,  
Parua ea, & ex parua trans ad nos uecta seripho,  
Exigua, ingentes præstent quæ sèpius usus,  
Semina certa mali requies, tenuata sed ante  
Igne remollescunt liquefacto saccara succo,  
Tegmine quæ paruo, & tenui circundata crusta,  
Ingratum occultent latitat quicunq; saporem.  
His & blanditias adhibent, multoq; iacentis  
Auro onerant stratum, festis cunasq; corollis,  
Tinnulaq; applausu quatiant circum æra sonore,  
Et placidis uaria admiscent festiuaq; dictis,  
Quales Luciolo cecinit Iouiania nato  
Næniolas albis Lisa insidiosa papillis.  
Vsq; adeo contra interdum stat nequiter ætas.

Sed

Sed quid opus? cane Io pœan, iam uicimus, ipse  
 Ipse ultro sumpsit puer, atq; expostulat ultro.  
 Inde autem magno tenues sese agmine fundunt  
*Ascarides, Vermisq; teres notissima pestis,*  
*Quæq; tulisse queat Colocynthæ semina credi:*  
 Non iam semen erant, tractu sed plurima lato  
*(Si qua fides uisis) prælonga hastilia sape*  
*Tinea quæ uincat, quantis nec Noricus hostis*  
*Armatur, nec tela regunt uento acta Cherusci.*

Ecce autem interdum cuncta inter leta repente  
 Plus solito uagire puer, multoq; labore  
*Irrequietus agi, nec iam lenire potestas:*  
*Carmina non cantata iuuant, non pulsa sonore*  
*Tympana, non teneras ori inferuisse papillas:*  
*Tum uero distorta dolore repente furenti*  
*Ora trahi, lucisq; simul torquerier orbes,*  
*Conuulsiq; rapi tensis ceu funibus artus,*  
*Et spumis agitata tumere albentibus ora.*

Ergo agite unà omnes fesso quacunq; puello  
*Succurramus, & imprimis de sesamo oliuum*  
*Iam membris adhibere calens, iam ducere corpus*  
*Tempus, & hoc rigidos pingui simul oblinere artus,*  
*Et uirosa simul subitum depromere ad usum*  
*Castorea, & nares, & inungere tempora Ruta.*  
*Contra etiam si quid teneros male fascinat annos,*

## IVLII ALEXAND.

Aut quicquid tale est factura, & iam omnis abijisse  
 Visa procul, totoq; recesserunt corpore noxa,  
 Improuisa redit: ueluti sub nocte silenti  
 Quum ferus insidias arcis molitur, & altis  
 Depulsus fremit a muris, rursusq; pererrans  
 Aggreditur, rursusq; fugit prædator ab actus,  
 Talis euntis ea est morbi ac redeuntis imago.  
 Tu uero ne cessa unquam, semperq; furentis  
 Qua ui cunq; potes ualidis insultibus obsta:  
 Excubias age, & infestum preme sedulus hostem.  
 Auxilijs quod si hinc uti maioribus audes,  
 Ne quicquam terrere minus quo fortia tentes.  
 Iam uires Vulcane tuas arcessere tempus:  
 Ergo qua ceruix capiti committitur, & qua  
 Exoriens sese neruorum pandit origo,  
 Hac candens in parte chalybs, aut si libet aurum  
 Imprimitur, procul hinc fratres, procul este parentes,  
 Aut si quem pietas prohibet, quo pressior usq;  
 Arte manus docta locus uritur, actaq; multo  
 Igne caua abscedat supposto particula osse,  
 Et nimis sic diffluxos humoribus artus  
 Contrahat ignea uis, solidoq; ita robore firmet.

Sunt quibus ipsa magis placeant, quæ mitia tante  
 Paulatim causasq; mali uiresq; redundant,  
 Atq; ita in hos multum sumunt medicaminis usus.

Quod

Quod grati imprimis Moschi de nomine fertur.  
Nec solet huc tardi partem tosta ungula aselli  
Non magnam conferre satis, cui deinde uirentes  
Adiiciunt semper frangifacilesq; Smaragdos:  
Candidaq; & rubro melius spectata colore,  
Vtraq; uiso autem durata corallia cælo,  
Quiq; suis latus iam prodijt unio conchis,  
Huc & opem collata ferunt absinthia paruo  
Semine non paruam, minima at de Cyclade dicta,  
Siue ea Santonici, seu miserit Appula tellus:  
Quæritur & Rutæ tollat quod flamina semen:  
Et capiti minime nocitura Melanthia, quæq;  
Vna malum sæpe est numero depellere sueta,  
Pæonia, insignis seruatrix nominis ex re,  
Semineq; & radice ualens æque herba potenti,  
Virgineaq; exculta manu Sampfuchus, & usq;  
Dictæa repetens mollis Dictamnus ab Ida,  
Moschusq; & Moschi Caryon, sed maior ut huius,  
Alterius sic pensa minor pars additur: & quod,  
Extremis mittunt Selachi de finibus Ambar.  
Largior ast Onychis, tum cornu copia cerui  
Coniicitur, tenui limæ quod segmine creuit.  
Hisq; diu mollis tunsis in pollinis usum,  
Omnibus admiscetur, quo nil tenuius aurum,  
Nil unquam mira fuerit deductius arte,

I V L I I ALEXAND.

Non liber arboreo late sub cortice cretus,  
Niliacæ philyra aut longe protenta papyri,  
Non membrana ullos tenuis quæ uestiat artus,  
Non aliud, si quod solers interlinit usus.

Iamq; tribus puer ingressus natalibus annos,  
Paulatim et atem profert, iam frangere primum  
Dentibus acceptam discit primoribus escam,  
Assuecitq; cibo, quem doctæ sæpe fouere  
Nutrices prius ore solent, præmanjaq; reddunt  
Ore ori apposito iucundo pabula lusu,  
Siue ita fracta minus, teneros, confectaq; dentes  
Esca ferit, seu nativo medicata calore  
Ocyus edomito, præbet nutrimenta succo.

Sæpe etiam pingui componunt corpus oliuo,  
Nulla cibi grauis incumbit quum sarcina crudi,  
Visceribus folioq; iubent innare salubri  
Dulcis aquæ, uel cum calido circumfluus aer  
Aestuat, & nocuo feruescunt sydere rura,  
Corpora securi mandant nudata fluento,  
Herbososq; lacus, & lucida stagna frequentant:  
Sicubi fontani subter crescentibus undis  
Eiaculantur aquas riui, scatebrisq; solute  
Irriguis superant uenæ, tellure remissus  
Vnde cauas humor solitus complere lacunas.  
Sic quoq; sponte sua morem hunc armenta secuta,

Flu-

Fluminibus gaudent placidis, & lata per undas  
Colludunt late liquidas mox corpora lotis  
Sordibus, æstiuo sub sole nitentia siccant.

At non is Scythiae, diro qua frigore septa  
Horridaque multum pulsata rigidibus auris,  
Arua colunt, mos est, illic ante omnia saeuo  
Membra gelu, natosque recens fluuialibus undis  
Immersos fætus inque æstum ac frigora durant.

Stridula carentis ueluti quum lamina ferri,  
Tincta lacu gemit, artificis quæ forcipe uersa,  
Sumit opem ualidam, gelidis & robur ab undis.  
Quippe aliud genus hoc hominum deserta ferarum  
More inter facile qui uitam, & inhospita ducant,  
Securi egelidi ferat inclemencia cœli  
Quas tempestates, densus ne in nubibus aer  
Riphæis glaciet uentis, & cana niuosis  
Iuppiter assidue pulset ferus arua pruinis.  
Tanta cutis duratæ animo fiducia sedit.  
Illic saepè etiam solida concretus ad imum  
Oceanus (mirum) crusta, sulcataque quondam  
Aequora remigio, patulisque natata carinis.  
Plaustra ferunt, tractasque rotas, urisque iugatis  
Stridentes, magno ducunt sub pondere currus.  
Nec minus immenso lætam super æquore nati  
Planiciem, saeuus quoties certamina Mauors

I V L I I   A L E X A N D.

Suscitat, infestis inter se prælia miscent  
Agminibus, latusq; equites fert campus aquarum  
Et ferrata cauo pulsat pontum ungula cornu,  
Numina quem pelagi sonitum mirata, queruntur,  
Hac quoq; confuso rerum parte ordine pactam,  
Turbari antiquo naturæ fædere legem.

Ergo hanc agricola incultus, magniq; colonus  
Ruris agant uitam & duris densata ferendis  
Frigoribusq; æstuq; cutis messoribus apte  
Conueniat, brutis fortasse animantibus usus  
Vnde sit arctoum populisq; colentibus axem,  
Qua causa pluviæ atq; hyemis patientia sœuæ  
Corpora nimborumq; atros quos incola caurus  
Grandine, commixtosq; gelu sæpe æthere uersat.

Cæli hoc sœuitem contra munimine tutæ  
Sub dio assidue degunt armenta gregesq;  
Inter & adstricta nimium cute frigora pulsant.  
Rectius at quanto uitæ spiracula ad usum,  
Nec laxata nimis uenientiæ obvia noxæ,  
Nec nocuos ferues nimis impedientia succos,  
Hoc dulcis facile solium undæ, corporaq; unæ  
Augusta præstat specie spætentur ut aucta.

Quum uero studiorum animum ad præcepta capacem  
Formabis, ferulæq; manum iam subtrahet, ipsa  
Hac ætate puer morem haud ita sæpe lauandi

Rectius

Rectius insisteret, facili corpusq; palestra  
 Tum sat erit mouisse, cibis quam uescitur ante,  
 Idq; modum supra haud facito, ne corporis actus  
 Incrementa labor compescat longius aequo.  
 Nec labor etati huic nimius: nec bacchica primis  
 Munera conueniunt annis, nullum illa leuamen,  
 Et multum praestant noxae. contrà optima fontis  
 Vnda iuuat puri, sacro quem numine præsens  
 Protegat, & noxa Nymphe tutetur ab omni,  
 Naiadum medicas aliqua artes docta, salubres  
 Lucida quæ potus, haustusq; ministret aquarum.  
 Vestibulum Solis primos ea pandit ad ortus,  
 Auroræq; sinu uenienti porrigit ultro  
 Læta suos, medioq; occurrens excipit alueo:  
 Nec sinit immundo sordere cubilia cœno,  
 Obductasq; fimo sedes, & inertibus uluis.  
 At teneros circum flores alit, intus aquarum  
 Copia prædulcis, placido quæ exercita cursu  
 Profluit, & nitidos uoluens terit usq; lapillos,  
 Somniferosq; ciet tellure emissas susurros.  
 Tale Athesis rapidi propè lata fluenta, Tridenti  
 Ora babit, sanctum cuncti quod numen aquarum  
 Indigenæ uocitant. talis, maioris at unde  
 Aluola, qua placidum, culta inter pinguia, latè  
 Benacus caput attollit pater, altaq; multo

IVLII ALEXAND.

Saxa per acta sono, uenientis flumina Sarcae,  
Aspergit, & laetis defessam amplectitur ulnis.

Sed neq; tam liquidis quæsita è fontibus unda,  
Nec tam post habitus recte baccheius humor:  
Quam iuuat effrenos domina ratione, iugales  
Corripuisse, uagis ulla ex patientur habenis  
Ne furor, aut grauis ira uia, aut uesana libido,  
Quæq; procax aluit capit is mala bellua multi,  
Siue annos rebus reliquos formabit agendis,  
Cura sequens, seu Turcigenas armabit in hostes,  
Membra lacertosis, dura exudanda palestra,  
Siue alet, & ualidos explebit uiribus artus,  
Seu uigilis potius tenuabit cura Mineruæ.

Iccirco bigis excelsa auriga regendis  
Sed sedet, frænoq; iugum moderatur: & arte  
Ni regat, arrepto sine more per auia curru  
Quippe ferantur equi, dominatoremq; citato  
Impete agant, uia præcipiti qua proxima lapsu  
Sese agit, & lato patet in Styga tristis hiatu,  
Vnde mali iam nunc etiam diffusa per orbem  
Semina, pacatisq; insedit rebus Erinnys,  
Anguicomumq; Megæra caput tulit altius, ex quo  
Bellipotens renouat Mauors incudibus arma,  
Vinculaq; & nodos à tergo uicit ahenos,  
Ipso una uarios miscet Bellona tumultus,

Fasq;

Fasq; nefasq; ciet, motumq; exterritat orbem  
Terror agens, ferus in medio deus, undiq; rerum  
Fundamenta quatit, stimulis Discordia cæcis  
Circum accensa fremit, Furiæq;, Iræq;, Minæq;,  
Insidiæq;, & torua tuens Violentia uultu,  
Raucaq;, terrificis sonuerunt classica bombis,  
Et trepida occinuit ferale insania carmen,  
Maxima quo concussa gemit sonitu, actaq;, tellus  
Qua patet, occiduas Phœbi nascentis ad oras,  
Limes & à medio tardum petit axe Booten,  
Extemplo iam pax abijt, iam Martius ardor  
Cuncta tenet, ruit extremo de littore Iberus,  
Aſſidua miles iam belli exercitus arte,  
Celsaq;, nubiferæ perfringit clauſtra Pyrenes:  
Parte alia ingentes fert dira in prælia uires  
Ipſa ingens, belloq;, minax stat Gallia contra  
Prædurum suffulta latus: ſimul Itala Cæſar,  
Arma mouens, gelidos traducit ad uſq; Triones,  
Interea latis ſequitur Germanica pubes  
Bello excita agris, trifluiq; una accola Rheni,  
Et quos extremi Morinos ſalis alluit unda,  
Iamq; iugi patiens Teuthrus mixtiq; Sicamri,  
Vſipetesq;, Vbijq;, alioq; ex orbe Britanni,  
Undiq; turbato uiolenter fædere, reges  
Inter ſe infestis gaudent concurrere signis.

IVLII ALEXAND.

Ergo nouo rursus madefiet sanguine tellus,  
Quadrupedumq; effossa bibet solum ungue cruorem.  
Scilicet huc furor, huc ultrices uerbere diræ  
Præcipites agitant gentes, sœuitq; flagello  
Tisiphone in medijs: Quo uos, quo cæcus adegit  
Mucua, cædis amor, uersos in uulnera tandem?  
Quin potius iunctis simul hinc concordibus armis,  
Itis eò latè à tergo, qua Martius anguis  
Cuncta agit, & tumidus consurgit quantus Orion.  
Ille quidem nigro suffusus membra ueneno  
Cristatum caput ecce tulit, uictorq; superbit,  
Littoribus adnans circum perq; omnibus, Istri  
Nititur unduagi fontem superare sonantem,  
Et iam iamq; tenet, totaq; adlabitur aluo.  
Hunc nisi sacratis non est compescere signis.  
Fælix depulsi, fælix quem tanta pericli  
Fama, triumphatiq; manet nouæ gloria monstri.

Dij, quorum sacræ festas solennibus aras  
Instruimus læti, celebresq; nouamus honores,  
Dij patrij prohibete nefas, castaq; uerendum  
Religione malum, & terrorum auertite tantum,  
In Lelegasq;, Scythesq;, inimicaq; nomina Thracas,  
Bactra ultra, Gangemq; ultra, Tanaimq;, Tigrimq;,  
Irarum satis, ô scelerisq;, necisq;, superq; est.  
Sæuitum inter se satis, & periuria multa

Iam

Iam pridem luimus, commissaq; crimina cæde.  
Vidimus insolitasq; hyemes, insuetaq; cœli  
Frigora, defectosq; suis male frugibus agros,  
Mœniaq; ingenti terræ labentia motu,  
Et fusis solito grauiora tonitrua nimbis.  
Prodigiosa diu tulimus, morbosq; famemq;  
Diram, insultantisq; minas Mauortis inulti,  
Et tanta exhaustos per totq; pericula casus.

F I N I S.













